

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitum

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput CXVIII. Pharisaei Monent Jesum De Insidiis Herodis. Lucae 13. vers.
31.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

CAPUT CXVIII.

PHARISÆI MONENT JESUM DE IN-
SIDIIS HERODIS,
LUCÆ 13. ver. 31.

RATIO ORDINIS.

DE consequentia hujus historiae ad præcedentem propterea non dubitare licet, quia Evangelista ipse disertè testatur, eam accidisse *enantiōnē* *herodis*, *eodem die*, quo scriba

ille de paucitate salvandorum inquisierat. Neque quicquam in Evangelistis extat, quod cum ratione aliqua hisce historiis interponi possit.

**

HERODIS MACHINATIO CONTRA JE-
SUM IPSI INDICATUR.

LUC. 13.

31. Εν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ πεσούλθον τινες Φαρισαῖοι, λέγοντες αὐτῷ· ἐξελθε, καὶ πορεύε σὺ τεῦθεν, ὅτι Ἡρόδης θέλει σὲ ἀποκτεῖναι.
32. Καὶ εἶπεν αὐτοῖς· πορευθήτε εἴπατε τῷ ἀλάπεχτῷ ιδίῳ· ἐκβάλλω δαιμόνια, καὶ οἱ ἄστες Ἐπιτελῶ ὧμερον καυρον, καὶ τῇ τελτῇ τελεῖται.
33. Πλίνιος δέιμε τῷμερον καὶ αυρον, καὶ τῇ ἔχουμένῳ πρενεονται στι γινέται πεφητην διπολεόδημα ἔξω τερροσολήμη.
34. Ιερουσαλήμ, Ιερουσαλήμ η διποτείνεται τοις πεφήταις, καὶ λιθοβολίσται τοις ἀπεργλαμέναις πεφηταις αὐτών, ποιησκη θέλησος ἐπισυνάξαι τη τεκνα στο, ἐν τοσπον σοντις τοις έαυτης νοσοται τοσο τοις πέρηγες, καὶ τοις θελησται;
35. ίδε, φιέτη, ώμιν ο οικοθονέων έρημοθονέων, λέγω τοις ώμιν, οτι τοι μη με ιδητε έως αν ήξη, οτι είπητε, έντερηθεν ο έρχομενον στονοματικον ειτε.
31. Eodem die accesserunt quidam Phariseorum, dicentes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere.
32. Et ait illis: Ite, dicite vulpi illi: Ecce ejusdem demonia, & sanitates perficio hodie & cras, & tercias die consummabis.
33. Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, ut propheta pereat alibi, quam Hierosolymis.
34. Hierusalem Hierusalem, que occidisti prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennas, & noluis?
35. Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus, cum dicitis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Perioda hujus Historiae.

IN præcedenti sermone audivimus, quam graviter Dominus Jesus Judæos monuerit, ut se posita fiducia sui generis & externi cultus, serio contendant intrare salutis portam, dum tempus est, eademque adhuc patet: alioquin futurum, ut ea occludatur, & si ipsi neglexerint mature per eam ingredi, magno cum suo gemitu & dolore in aeternum exclusos iri. Hanc commonefactionem, ut pote ex animo benevolo & salutis eorum sitiente profectam, omnes Judæi grata mente suscipere, in primis autem Pharisei, tanquam legis interpres & pietatis doctores, populo quam diligentissime inculcare debuissent, ut futurum aeternum exitium evitarent. Verum ex praesenti historia patet, Phariseos illa Christi libertate sic offensos fuisse, ut subdole, quandoquidem aperta vi non audabant, ipsum ex Peræa & a se removerent, ne suis concionibus populum prorsus ab ipsis ab alienaret. Sic vero ipsi occasionem praebent, ut toti populo, in primis autem urbi Hierosolymorum extremum excidium & internectionem denunciet, qua DEUS etiam in hac vita ipsorum ingratitudinem puniturus sit. Brevis hic est locus, sed pluri-

ma continet observatu digna: quapropter diligenter exutiendus.

1. Primo monitores considerandi occurunt, qui Domino Iesu suadent, ut locum mutet, & fugi sibi consilat. Eodem die accedunt quidam Phariseorum, dicentes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Certè de periculo quenquam mone re laudabile est, & verum veri amici officium. Sic Jonathas Davidem monuit, de patris sui Saul sanguinario proposito, & David ipius manus evalit. 1. Sam. 20. v. 9. Sie Act. 23. v. 16. Pauli sororis filius ipsum salubriter admonuit de infideiis Judæorum, qui se devoverant, se nec manducatuos nec bibituros donec Paulum occidissent, & liberatus est. Tales autem non fuerunt hi monitores, sed quæcumque protulerunt, ea per fallaciam & dolose proposuerunt. Nam offensi ipsius libertate qua contra Judæos docebant: & quia ea suam etiam existimationem obscurari sentiebant, tentant num hac ratione eum honeste a se removere, aut penitus ipsi os obturare, & metu imminentis mortis silentium imponere possint. Simulant igitur benevolentiam, & monent, ut sibi à periculo caveat,

caveat, per omnia practicantes usitatum illud :

Tuta frequensque via est, per amici fallere nomen.

Sed addatur etiam Pentameter :

Tuta frequensque licet sic via, crimen habet.

Abutuntur autem Pharisei in hoc negotio auctoritate magistratus : *Herode svult te occidere.* Unde hoc ipsi neverunt? Num tanta ipsis cum Herode fuit familiaritas, ut etiam arcana ejus ipsis patarent? Fuit quidem Herodes rex impius, qui Baptistam occiderat : de consimili tamen conatu in Christum Jesum nihil in Evangelio legitur, siquidem Deus animum ipsi ademerat. Cum enim Matth. 14. v. 1. de factis Jesu audiret, honorifice de eo sensit, putans ipsum esse Joannem Baptistam, qui ex mortuis surrexerit, & propterea maiores virtutes operetur. In Passione quoque gavissus est, qvod Jesum videre liceret: & licet cum contemptu ipsum dimiserit, manifestum tamen inde est, eum sibi à Jesu non timuisse. Adhac docebat Jesus palam, qvod Herodes ignorare non potuit. Si itaque Jesum ex sua ditione remotum voluisse, non opus fuisse ministerio Phariseorum, sed ipsis pro regia sua auctoritate licuisset illi imperare, ut cederet. Quapropter dubium non est, hæc omnia malitiosa à Phariseis conficta fuisse, eosque magistratus auctoritate falso abusos.

Hinc discamus agnoscere ingenia & mores hypocrytarum veritati sece opponentium, qvam non uno modo oppugnare solent. Si viribus prævaleant, aperte se illi opponunt, ut nuper Judæi Hierosolymis Johan. 10. v. 30. Sim viribus suis non fidant, tum vel blandimentis, promissionibus & præmiis invitant ad defectionem, velminis & comminationibus terrent & ad fugam permovere student. Talium hypocrytarum mores juniores verbi ministri probe attendere discant, maxime qui ratione vocationis docent inter eos, qui falsæ doctrinæ sunt addicti. Hi fere miris technis juniores & simpliciores adorari solent, ut illis perfadeant, quo errorum taxationes suspendant: jam blande monent, ut circumspete agant, nec omnia rigidius urgeant, siquidem hoc modo hominum animos à se alienent: mox pericula fingunt, in qvæ & se & alios conjecturi sint, si asperius agant. Et hæc omnia in eum finem ab illis sunt, ut tales fidei & munieris sui, qvo Deo sunt obstricti, obliti, hominum servi fiant, & juxta beneplacitum hominum ministerio suo fungantur. Hic cogitet fidelis minister illud Pauli, Galat. 1. vers. 10. Si hominibus placere vellem, Christi servus non factus essem.

2. Attendum etiam qvid Christus hisce suis monitoribus respondeat. Ipsos cum suo consilio ritiuit, & dicit: *Ite, dicate vulpi illi: Ecce ejicio demonia & sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consummor.* Veruntamen oportet hodie & cras & perendie ambulare, quia fieri non potest, ut Propheta pereat alibi, quam Hierosolymis. Primo vicissim jubet ipsis abire abs se, & Herodi, si omnino velit ipsum occidere, renunciare, qvod violentiam ipsius non reformidet, à qua probe tutus esse velit. Inquit autem: *dicate vulpi illi.* Herodem *vulpem* appellat, ob verutiam & calliditatem. Quam vulpinam suam astutiam in omnibus suis factis & moribus, in primis in Joanne capto & occiso prodidit. Simulavit se Ioannem amare, benigne audire, multa ad ipsi monitiones facere, honorifice de eo sentire: sed

tandem ad unius saltatriculæ puellæ petitionem, sub prætextu juramenti temere dati, crudeliter in carcere occidit: & tamen se propterea graviter dolere simulavit. Mirus etiam fuit artifex fese apud populum insinuandi, ut non defuerint ipsis secessores, Herodiani dicti, qui ipsum Herodem promissum Messiam affirmarent. Hæc & alia Christus respiciens, non immerito ipsum *vulpe* vocat, in cuius gratiam ipse nihil facere vel omittere velit. Non autem fecit hoc Christus ex contemptu magistratus, sed ex auctoritate sui muneris: qvia verbo Dei subjacent omnes homines, ut ex eo arguantur, qvicunq; peccant. Sic suo exemplo ministros suos docet, qva libertate in arguendis manifeste sceleratis, & hostibus uti debeant: ibi scapham, scapham, ligonem, ligonem nominent, sine respectu personarum. Quoad tamen magistratus moderate agant, ne quis ipsis objiciat, esse ipsis ex numero eorum, de qvibus Judas in Epistola sua v. 8. qvi dominationes spernunt, & majestates blasphemant. Neque enim ministri regum & principum corda atque renes ita rimari possunt, sicut Christus Dominus. Illud tamen non negligendum videtur, qvod Theophylactus vocem *vulpi*, non ad Herodem, sed ad ipsis Phariseos, qvi subdola mente illud de Herode confinxerant, accommodet. Ideo etiam dicit in græco legi, ἀλώπεκι τάπτι, id est, *vulpi huic*, quasi præsentes Phariseos digito monstraret, & ob qvam confitam illam vulpinam astutiam ipsis potius qvam Herodem notaret. Sed ut ut sit, sive Herodem sive Phariseos *vulpis* epitheto notarit, responsione tamen sua diserte significavit, se neminem timeret, neque ab homine sibi periculum creari posse, sed tum demum & eo in loco occidendum esse, quo jamdudum à cœlesti Patre sit constitutum.

Proinde secundo loco indicat, quid suo nomine *vulpi illi* renunciare debeant, & simul rationes ponit, ob quas nec Herodes sibi à Jesu, nec Jesus ab Herode sibi metuere debeat. 1. *Ecce ejicio demonia, & sanitates perficio.* Allegat suum officium, qvod ab Herodis officio longissime sit diversum. Meum officium est daemonia ejicere, & morbos corporales sanare. Ergo Herodi à me nihil est metuendum, cum nolim politicam administrationem ad me rapere. Adhac, cum ego daemonia ejiciam, & sanitates regnum evertam, qvod Herodes in æternum facere nequit: Cur ego potentior metuum mihi ab infirmiore. 2. *Hodie & cras & tertia die consummor.* Est altera ratio sumpta à brevitate temporis. Intra modicum tempus cursus ministerii mei conficietur, tamdiu ab Herode securus ero. Neque frustra verbis in præsenti tempore utitur, ἐκβάλλω, ἐπιτελῶ, τελεσθεῖ, ejicio, perficio & consummor, quæ verba significant & passionis vicinitatem, & rei certitudinem, & animi sui ad rem tantam propensionem. 3. *Et tertia die consummor*, sive immolar. Diei vocabulo respicit ad providentiam cœlestis sui Patris, apud quem sua cuiq; stat certa dies, quam humana malitia non potest anteverttere, Job. 14. v. 5. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituiti terminos ejus qui præteriri non poterunt. 4. Qvia tamen Dominus Jesus sibi jam ante proposuerat, qvod adhuc ante passionem omnes illius terræ partes, non tantum Peræam, sed etiam Iudeam, Samariam & Galilæam peragrade & in

iis Ecclesias visitare vellet, in quem finem etiam
Luc. 10. v. 1. septuaginta discipulos ante faciem
suam emisit in omnem civitatem & locum, in
quem venturus erat, & propterea sponte sua fini-
tis hybernis ex Peræa discedere constituerat, ne
Pharisei existimarent, ipsum metu Herodis tum
fugere, ideo addit. *Verum amen oportet me hodie &*
cras & perendie ambulare. Allegat Patrius sui decre-
tum, qui ut certam vitæ metam cuivis constituit:
ita vult quenvis in sua vocatione indefessum es-
se, neque ignavo otio quicquam eorum quæ fa-
cienda sunt omittere, donec metam illam plene
impleverit. 5. Denique addit adhuc peculiarem
rationem pro se, cur Herodis insidias non refor-
midet: *quia fieri non posse, ut Propheta pereat alibi*
quam Hierosolymis: εἰ δέχεται, non capit, impersonaliter
sumptum idem sonat, quod non convenit,
non decet, non est possibile, Hierosolymitanorum
malitia non aliter admittit, ut vix fieri pos-
fit, ut Propheta alibi trucidetur, quam ibi, usque
adeo hæc urbs cædibus Prophetarum assuevit.
Quanquam nec hæc interpretatio absurdâ est, qua
qvidam per prophetam hic intelligent Messiam,
magnum illum Prophetam, quem Dominus se
Israelitis ex suis fratribus excitaturum promiserat.
Deut. 18. v. 15. Hunc alibi quam Hierosolymis
occidi non convenisset. Omnes enim typi Veteris
Testamenti, immelatio Isaaci in monte Moria, &
quod omnia sacrificia nullibi quam Hierosolymis
in templo perfici debuerunt, si Deo grata esse vel-
lent, eo directa fuerunt, ut docerent Messiam
iāστον suum & propitiatorium sacrificium Hie-
rosolymis peracturum. Hæc est Christi responsio
ad Phariseorum monitionem.

Hac vero responso Christus etiam aliis ver-
bi ministris rationes suppediat, quarum medita-
tione in sua vocatione constanter progrederi, offi-
cium suum animose facere, & nec blandimentis
nec terriculamentis ab illo se adduci patientur. 1.
Ante omnia viderint ut intra metas suæ vocatio-
nis maneant, ipsi Ecclesiastici Ecclesiastica tra-
gent & urgeant, politicis relinquant sua politica.
Qui didicit illud Paulinum 1. Thess. 4. v. II. οὐκ χει-
ζει, καὶ πέποσεν τὰ ἱδια, quietus esse, & res suas a-
gere, non facile quovis ruminusculo terrebitur. Qui
autem unum pedem in cathedra, alterum in cù-
ria habere vult, & facile terretur, & vel tandem
cum gemitu illam cantilenam canere cogitur:

*Disce meo exemplo mandato munere fungi:
Et fuge ceu pestem τὸ πολυπεταγμοσύνων.*

2. Diligenter etiam cogitent, quam breve sit
spatium vitæ & curriculum sui ministerii: dum nos
vertimus, & hoc illudve respicimus, eccæ æterni-
tatis adest. Et quia tum unicuius dicetur, reddi-
rationem vocationis tuæ, quisque etiam ita sit
paratus & instructus, ut ne modicum illud tem-
pus male collocasse judicetur. 3. In omnibus au-
tem adversis, quæ ipsi in munere suo ab hostibus
veritatis obviare possunt, & in omnibus periculis
secure recumbant in providentiam cœlestis Pa-
tris, absque cuius paterna voluntate nihil ipsi ac-
cidere potest. Sunt omnes capilli capitisi ipsorum
numerati. Matth. 10. v. 30. & dies vitæ ipsorum
omnes in libro Dei annotati sunt. Psalm. 139.
v. 16. Horum ne unus quidem, imo nec hora in-
tercidere potest. Sunt duodecim horæ diei. Joh.
11. v. 9. Antequam ultima elabatur, secure in tute-

la Dei acquiescimus, qui nos liberabit de laqueo
omnium venantium, & à verbo aspero. Psalm 91.
v. 3. 4. Interim quisq; in cursu vocationis sua strenue
progrediatur, nec quicquam faciendorum intermitat, sive modicum sive longum intervallum
adhuc sit conficiendum. Sic enim vivendum est,
quasi hodie morituri essemus: & sic laborandum,
ac si adhuc seculum integrum supervivere velle-
mus. Hæc ab Apostolis, SS. Patribus & Martyribus
observata fuisse in suo ministerio, deprehende-
mus, eos imitemur. Id qui fecerit, in tertia die mortis
sua etiam consummabitur. Egregium & exoptatum
mortis epitheton. In hac vita omnia sunt imper-
fecta: ex parte enim cognoscimus, & ex parte
prophetamus. Post mortem autem veniet perfe-
ctum, & evanescit, quod est ex parte, 1. Cor. 13. v.
9. Hoc unicum epitheton nos, ad mortem prompte
juxta Dei voluntatem obeundam, permovere
poterat.

3. Subiungit Christus digressiunculam & δια-
σποφίων ad urbem Hierosolymorum, ob ingratitudinem erga divina beneficia. 1. Ante omnia autem
pathetica ingeminatione verbi suam commi-
tationem, suumq; erga ipsam atque Judæos studium
exprimit: *Hierusalem, Hierusalem, quoties volui con-
gregare filios tuos quemadmodum avis nidum suum sub-
pennas?* Studium suum aptissima similitudine gallina-
erga pullos suos considerandum proponit. ὄρνις
& avem & gallinā significat: νόσοιον vero συντονίαν,
tam domicilium seu nidum in quo pulli educantur,
quam pullicem ipsam. Et quidem omnibus a-
vibus mirus amor insitus est ad fovendos & prote-
gendos pullos suos, in primis autem gallina. Hæc
pullos implumes fovet, pro eorum victu sollicita
est, gloriando ad eum vocat, & pro illis contra
milvum ad sanguinem usq; certat. Non minora
subsidia acceperunt Judæi à Deo. Qui cum ipsi
facile carere potuissent: tamen eos ex singulari
bonitate ex reliquis gentibus in Abrahamo evocavit,
& in filios adoptavit. Et si quando ob peccata sua
inter Ægyptios vel Babylonios aut etiam alias
gentes dispersi fuerant, rursus eos congregavit.
Verbo item legis & Evangelii ipsos ad salutarem a-
nimam cibum invitavit, per quem in æternum ser-
varentur. Pro ipsi denique contra omnes eorum
hostes tam corporales quam spirituales ad ani-
mam usque decertavit. Et hæc omnia fecit non ab
heri & nudiis tertius, sed inde ab initio, cum pri-
mum evocasset Abrahamum à Chaldaëis, filium
suum primogenitum ab Ægyptis, Judæos à Ba-
byloniis: ut non immerito hic potuerit dicere,
quoties volui congregare? Numero enim caret mul-
titudo beneficiorum Christi erga Judeos, ut nimis
vere dixerit Ies. 5. v. 4. quid est quod debui ultra
facere vineæ meæ, & non feci ei?

Sed 2. quales se Judæi vicissim erga Christum
exhibuerunt? *Et noluisisti*, quasi diceret: doleo vi-
cem vestram, qui ita sponte ruitis ad exitium ve-
strum, nec ullum remedium, etiam divinitus ob-
latum admittere vultis. Quæ major & magis ma-
litiosa infamia inveniri potest, quam aperta Dei be-
neficacia repudiare, & subsidia summe necessaria
contemnere? Dicat autem quis: quomodo Christus
potest dicere: *Ego volui vos congregare, & vos*
noluisisti. Cum ipsius velle longe potentius esse po-
tuerit, quam ipsorum nolle? Annon ipse Deus ille
est, qui omnia fecit quæ voluit in cœlo & in terra,
ut habe-

ut habetur Psal. 115. v. 3. Resp. Christus hic non loquitur de voluntate sua abscondita & absoluta, juxta quam facit quæcumque vult, nec ulla creatura ipsi resistere potest: Sed loquitur de voluntate ordinata & in verbo manifestata, ad quam homines se se accommodare debent. Sed, proh dolor! ob natura corruptionem, natura omnes nolunt: donec Deus per spiritum suum sanctum, ministerio verbi, mentem & voluntatem hominum regenerat, & ex novolentibus volentes, ex reluctantibus consentientes facit. Si qui vero verbum contemnunt, sicut Judæi fecerunt, tum illi in repugnancia sua perdurant & constanter nolunt. Ut monstri instar sit, quod aliqui Pontifici scriptores ex hoc loco vires liberi arbitrii in homine elicere conantur. Cum manifeste hinc pateat: vires ad velle (scilicet bonum) esse emortuas, ad nolle autem, libenter fatemur, eas nimium esse efficaces. Nam etiam hic Christus de urbe Hierosolymorum præmisit, *qua occidit Propheta, & lapidas eos, qui mittuntur ad te.* Deus populum suum nunquam dereliquit sine Prophetis, inde à Mose ad Malachiam, vel potius ad Baptistam, atque sic ad Christum usque: post Christum habuit *τέσσερας οὐρανούς*, Apostolos suos, quorum utrorumque ministerio voluit ipsius filios congregare ad vitam æternam. Sed quam gratiam ipsi eis retulerunt? *Prophetas occiderunt*, quod de Jesaia, Jeremia, Zacharia & aliis notiis est, quam ut opus sit multis referre: *Apostolos lapidarunt*, initium hujus facientes cum Stephano, Act. 7. v. 59. & continuantes ad Apostolum Paulum usque. 2. Cor. 11. v. 25. Sic Deus bonitate sua summa, cum extrema malitia Judæorum decertavit, ultra superior evaderet. 3. Sed quis erit exitus horum? *Ecce, relinquitur vobis domus vestra deserta.* Per domum non inepte hic templum intelligitur, quod alias domus Domini dictum est. Quia autem Judæi ex domo precatiōnis speluncam latronum fecerant, non amplius nominat eam domum Domini, sed ipsorum domum, *domus vestra.* Et ea relinquetur vobis, quasi dicaret: quia hactenus omnem vestram fiduciam in templo collocaitis, semper cum veteribus illis Judæis ingeminantes: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Jer. 7. v. 4. Ideo Pater meus cœlestis relinquet vobis vestrum templum, ut eo fruamini quantum potestis: relinquet vobis vestram domum, sed *desertam*, & omni sua gratia spoliatam, ut ejus ne minimum quidem vestigium in posterum invenire possitis. Et hoc modo recte hæc verba Christi exponuntur. Potest tamen vocula *domus* etiam generalius accipi, de omnium Hierosolymitanorum imo etiam Judæorum domibus in tota illa regione. Sicut etiam in Psal. 69. v. 26. habetur: *Fiat habitatio eorum deserta: & in tabernaculis eorum non sit qui inhabiteret.* Ut ita Christus hic vaticinetur de excidio totius Judææ, quæ a Romanis facta est sub Vespasiano & Tito. Et hæc est severa, justa tamen,

Dei ultio adversus eos, qui per verbi divini prædicationem à Deo congregari nolunt. Digni ergo sunt, qui in æternum dispergantur & perdan- tur. Deus per Prophetas & Apostolos studuit Judæorum templum & domos exornare. Sanctitas enim qua ex Deitestimoniis addiscitur, est de- cus domus in æternum. Psal. 93. v. ult. Hoc orna- mentum cum ipsi habere noluerint, Deus vi- cissim derelictione & desolatione extremam suam iram testatam facit.

4. Addit denique: *Dico autem vobis, quod non videbitis me, donec venerit tempus, cum dicetis: Benedic- tus qui venit in nomine Domini.* Hic Harmonistæ quidam multum se macerant, qualiter hæc verba sint accipienda, & de quali visione Judæorum sint intelligenda. Id evenit ex inordinata confusione historiarum, quod aliqui post hanc historiam semel atque iterum Jesum Hierosolymam deducunt, ante festum Palmarum, ad quod Christus hic collineat. Et ordo historiarum prout à nobis positus est, probe monstrabit, quomodo Christus etiam hic secundum literam verissime prædixerit, qua post futura essent. Neque enim Hierosolymitani intra suam urbem Christum posthæc viderunt, donec ab ipsis cantico illo co- honestatus in eam introductus est. Vult ergo Pharisæi suis monitoribus dicere: *Vos me hinc Peræa jubetis discedere, quia alioquin Herodes me interfecturus sit.* Ego vero dico vobis, ante meam consummationem futurum, ut vestri contribules Hierosolymitani, me solenniter cum cantico & tripudio intra suam urbem recepturi sint. Hoc temporis absque dubio mirabiliter fonnuit in auribus Pharisæorum: & tamen imple- tum esse viderunt. Hac sententia Christus adhuc semel usus est post ingressum in urbem, paucis diebus ante passionem, Matth. 23. v. ult. ibi lo- cum babere potest illorum interpretatio, qui re- spiciunt secundum Christi adventum, de quo vo- lente Domino, suo loco & tempore.

Ex toto hoc loco illud notemus, quod prædica- tionis verbi divini hic sit scopus, quod Deus ea nos velit colligere sub umbra alarum suarum, ut nos foveat, sustentet, tueatur, defendat. Iccir- co, quando impii nolunt sic congregari, piis se ab iis segregant. Cum Davide precentur ex Psal. 17. v. 8. *Sub umbra alarum tuarum protege me.* Et Psal. 57. v. 2. In umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas. Item 61. v. 5. protegar in velamento alarum tuarum. Hic filii Dei con- gregati tuto delitescant. Qui vero hoc modo congregari nolunt, & verbum predicatum vel ab- jiciunt vel perseguuntur, illi sibi ipsi dissipatio- nem omnium bonorum attrahunt. Nam totus hic locus testatur, excidiorum causam non esse Evangelii prædicationem, prout prophani homi- nes interdum blaterant, sed ejusdem per-secutionem & oppressionem.

* * *

CAPUT CXIX.

CONTINENS HISTORIAM SANATI HYDROPI-
CI SABBATO, IN DOMO PRINCIPIS PHARISÆO-
RUM, CUM ALIIS QUIBUSDAM CONCIONIBUS.
LUC. 14. vers. 1.

RATIO ORDINIS.

DE ordine non opus est hic multum disputare, nos simpliciter Lucam sequemur, donec Evangelistæ rationes suas iterum conjungant. Pergit enim Lucas Pharisæorum technas ulterius commemorare, & quomodo Dominus vicissim ipsorum perversa judicia, ambitionem, malos mores taxarit, & simul ad vitæ æternæ desiderium inducere voluerit. Du-

biūm autem est, utrum in Peræa adhuc, an vero in Judæa hæc historia acciderit. Ego puto eam factam esse in Peræa. Fieri enim potuit, ut monitionem illam mox sabbatum secutum sit, in quo Christo & Apostolis ex Legis præscripto non licuisset iter facere. Pharisæi ergo, prout quevis & simulare & dissimilare poterant, cum in sabbato ad prandium invitavit, sperantes se hoc fuso benevolentia ipsum decipere posse, ne putet monitionem præcedentem ex subdolo corde profectam esse.

CONVIVIUM APUD PHARISÆUM, ET SANATIO
HYDROPOICI IN SABBATO.

LUC. 14.

1. Καὶ ἐνθέτο ἐν τῷ ἐλθεῖν αὐτὸν εἰς οἶκον τῷ φραστῶν τῶν φαρισαίων στέβατο φαγεῖν ἄρτου, καὶ αὐτὸι ἡτοι παρεπηρόμενοι ἀντρῷ.
2. Καὶ ἴδι αὐθωπὶς τῆς λευκωπικοῦ ἔμποροθεν αὐτῷ.
3. Καὶ διπορεύεται ὁ Ἰησος εἰπεις τοῖς νομικοῖς η φαστοίσις, λέγων, εἰ ἔχετε ἐν τῷ φραστῶν ἰερεπονεῖν;
4. Οἱ δὲ ησυχαστοι, καὶ ἀπιλαβόμενοι τὸ ιάσιστο αὐτὸν, καὶ ἀπέλυσε.
5. Καὶ διπορεύεται τοῖς αὐτοῖς εἰπεις τὸν φραστῶν ὃ φρέαρ ἐμπεσεῖται, καὶ τῷ ἐνθέως αἰδανοσιει αὐτὸν ἐν τῷ ἥμερῳ ἐπιστέστη;
6. Καὶ γένισθων αὐτοπειθῶντα αὐτῷ τοὺς παῖδας.
7. Ἐλεγεις δὲ τοῖς κεκλημένοις παρεχούσια, ἐπέχων, πᾶς τὰς πειρατικὰς ἐξελέγοντα, λέγων τοὺς αὐτούς·
8. Οἵταν κληθῆς ωσόν τὸν φραστῶν εἰς γάμος, μὴ κατακλιθῆς εἰς τὸν πειρατικόν, μηποτε στριμώτερος σε τῇ κεκλημένῳ φραστῷ αὐτῷ.
9. Καὶ ἐλθεῖν ὁ σὲ ηδὲ αὐτὸν καλέσας, ἐβέη σοι, δός τοι τὸν φραστόν, καὶ τοτε ἀρξη μετ' αὐχούσης τὸν ἔχαστον φραστὸν κατέχειν.
10. Αὐλός ταν κληθῆς, πρενεθέτης αὐτοπειθον εἰς τὸν ἔχαστον φραστόν, ἵνα ὅταν ἐλθῃ ὁ κεκληκὼς σε, εἰπῃ σοι· Φίλε, παρουσιασθεὶς αὐτοπειθον, τοτε ἐσαι σοι δόξα συώποι τῶν σωματαπειθεμένων σοι.
11. Οἱ πᾶς δὲ τὸν ἔσωτρον ταπεινωθήσεται, καὶ ὁ ταπεινῶν ἔσωτρον οὐκανθήσεται.
12. Ἐλεγεις δὲ καὶ τοῖς κεκλημένοις αὐτὸν, ὅταν ποιήσῃς ἀρχιστὸν ἡ δέσποιν, μὴ φανετεῖς φίλιας σου, μηδὲ τὸν αὐτοφράστης σου, μηδὲ της συγγενεῖς σου, μηδὲ γένιον τολμοῖς, μηποτε καὶ αὐτοῖς τοις αὐτικαλέσωσι, καὶ γνησηγονοις αὐτοποδομα.
13. Αὐλός ταν ποιήσῃς δοχὺν, καλει πλωχὸς, αἴσαπτρος, χωλὺς, πυφλός.
14. Καὶ μακάρει φραστῷ ἐση, ὅτι ἐκ ἔχαστον αὐτοποδομαὶ σοι αὐτιποδοθήσεται γάρ σοι, ἐν τῷ αἰσαστοι τοῦ δικαιοιον.
1. Et accidit, ut introiret in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato, ad edendum panem, & ipsi obserabant eum.
2. Et ecce homo quidam hydropticus erat ante illum.
3. Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos dicens: Num licet sabbato sanare?
4. At illi tacuerunt: Ipse vero apprehensum sanavit eum, ac dimisit.
5. Et respondens ad illos, dixit: Cujus vestrum affinis aut bos in puteum cadet, & non continuo extrahet illum die sabbati?
6. Et non poterant ad hæc respondere illi.
7. Dicebat autem ad invitatos pambolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ab aliquo ad nuptias ne accumbras in primo loco, ne quando honorior te sit invitatus ab illo.
8. Et veniens is qui te & illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore extremum locum tenere.
9. Quin potius cum vocatus fueris, vade, accumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice, ascende superius, tunc erit tibi gloria conum simili discubentibus.
10. Dicebat autem & ei qui se invitaverat: Cum facias prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne quando & ipsi te vicissim invitent, ac repandatur tibi beneficium.
11. Quia omnis qui se extollit dejicitur. Et qui se dejectit, extolleatur.
12. Dicebat autem & ei qui se invitaverat: Cum facias prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos tuos, neque vicinos divites, ne quando & ipsi te vicissim invitent, ac repandatur tibi beneficium.
13. Imo cum facias convivium, voca pauperes, debiles, claudos, eacatos.
14. Et beatus eris, quia non possunt rependere tibi. Rependet enim tibi in resurrectione iustorum.

15. Ans.